

semiplenam probationem. — Fallit quinto, quia exemplar sine debitis solemnitatibus ex instrumento originali descriptum, etsi non faciat plenam probationem. adhuc tamen facit aliquam præsumptionem. Mascardus loc. cit., n. 59. et 60. post Geminianum consil. 100, n. 3. Imo, si originale instrumentum probeatur fuisse amissum, tunc exemplar ipsius facit semiplenam probationem, adeo, ut possit deferri juramentum in supplementum. Glossa in l. *Sicut iniquum.* v. *facile*, c. *de Fide instrument.*; Jason Auth. *Si quis in aliquo.* n. 6. c. *de Edend.*, Mascardus cit. concl. 712. n. 58. et alii ab his allegati, qui nonnullas alias fallentias adducunt.

§ III.

DE FIDE SIGILLI, ET ALIIS ISTUD CONCERNENTIBUS.

70. *Sigillum, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit sigillum, quamque vim probandi habeat sigillum authenticum? Resp. I. Sigillum, quod est diminutivum a *signo*, impressariarum accipitur pro imagine, qua ceræ impressa litteras obsignamus. Atque in hac acceptione dicuntur litteræ sigillatæ; id est sigillo apposito clausæ, obsignatæ, seu munitæ. Calepinus v. *Sigillum*. Quanquam præter hanc vulgatam significationem, sigillum quandoque parvam statuam, puta, domui affixam significet, l. *Quæsitum.* § *Papinianus.* ff. *de Fundo instruct. legat.*

71. *Dividitur in authenticum et non authenticum.* — Resp. II. Sigillum varie dividitur. Et primo quidem in authenticum, et non authenticum. Sigillum authenticum est, quod multorum auctoritate comprobatum est: sive, quod est certæ fidei. Nam, ut observat Spiegelius et Joan. Calvinus in *Lexico juris* v. *Authenticum*, istud vocabulum *Authenticum* pro re certæ fidei ponitur, seu quæ multorum auctoritate comprobata est. Sigillum non authenticum e contra dicitur illud, cujus fides vacillat.

72. *Quatuor detrahunt fidei sigilli: et quæ?* *Sigilli falsitas arguitur ex eo, quia non congruit in sculpturis dignitati sigillantis.* — Porro quatuor sunt, quæ detrahunt fidei sigilli, et faciunt illud vacillare; ut notat Abbas c. *Inter dilectos.* n. 4. juncto textu ibid. h. t. Prima quando sigillum non congruit in sculpturis dignitati sigillantis: non enim præsumitur sigillum illius, cui adscribitur, si sibi non convenit. Et hinc in cit. c. *Inter*

dilectos. § *Sed econtra*, vers. *Testib.* h. t. falsitas sigilli cuiquam instrumento appositi arguitur ex eo, quia in ipso apparebat quædam imago, non cum mitra in capite (quale solebat esse Luitardi episcopi, cujus dicebatur fuisse instrumentum illud) sed cum pileo; nec induta pontificalibus, sed regalibus indumentis; tenens in manu non baculum pastorem, sed quasi sceptrum regale.

73. *An et qua ratione quis uti possit sigillo alieno?* — Ex quo sequitur, quod si quis habeat sigillum proprium, tunc ipso, et non alieno sigillare debeat: alioquin illud non proderit, cum sibi, suoque statui non conveniat. Si autem nullum sigillum proprium habeat, vel saltem non habeat illud præ manibus, neque facile acquirere possit, tunc potest quidem uti alieno, § *Possunt.* Instit. *de Testament. ordinand.* debet tamen exprimere, se alieno, et non proprio sigillo signasse, et cujus, et quare alieno. Innocentius, quem citat, et sequitur Abbas cap. II. n. 16. h. t. idque rationem proxime dictam.

74. *Sigillum, solitum magistratus et ad talia negotia destinatum debet adhiberi; alioquin redditur suspectum.* — Illud etiam in sigillo, præsertim magistratus, est observandum, ut adhibeatur sigillum solitum, et ad talia negotia expedienda destinatum. Alioquin enim veluti non congruens negotio, et potestati sigillantis, redderetur suspectum, nec censeretur authenticum: nam auctoritas sigilli restringitur ad causam, et ad officium ad quod destinatum est sigillum, c. *Significavit.* 48. juncta Glossa v. *Ad citationes. de Appellat.* Felinus c. *Post cessionem.* n. 17. *de Probation.* Mascardus *de Probat.* concl. 1309. n. 28. Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II, cas. 113, n. 7. allegans plures alios.

75. *Sigillum redditur suspectum, quando litteræ ejus non sunt legibiles.* — Secundo, sigillum redditur vacillans, ac detrahitur fidei ejus, quando litteræ sigilli non sunt legibiles; vel leguntur ita pauca, quod necessario non concludant sigillum esse illius cui adscribitur, sed oritur æquivocatio. Idemque dicendum, si sculpturæ sunt consumptæ, nec aliter potest certificari, cujus sit sigillum, juxta cit. *Inter dilectos.* 6. h. t. Ubi proin Glossa v. *Dimidia.* infert, quod ad hoc, ut sigillum sit authenticum, debeant in eo apparere characteres, et orbita, l. *Ad testium.* § *Signum.* ff. *de Testament.*

76. *Aut patitur enormem fracturam. Vel per glutinum novæ ceræ est chartæ connexum*

arbitrio judicis. — Tertio, sigillum redditur suspectum, quando patitur enormem fracturam, ita quod ex residuo non possit clare cognosci, cujus sit: quod ipsum sequitur ex proxime dictis. Quarto, quando sub sigillo charta reperitur perforata, et per glutinum novæ ceræ sigillum illud ipsi chartæ connexum; ut est casus cit. c. *Inter dilectos.* ac post Innocentium notat Abbas ibid. n. 4. et Felinus n. 5. h. t. et Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 113, n. 12. et 13, allegans alios. Qui tamen notant, arbitrio prudentis judicis esse relinquendum, quænam ex his in casibus particularibus sufficiant ad fidem detrahendam sigillo, attentam qualitate læsionis ipsius sigilli, aliisque circumstantiis; prout in simili dici solet de vi probationis testium, l. III. ff. *de Testib.* et can. *Si testes.* 4. q. 3.

77 et 78. *Sigillum publicum quod sæpius confunditur cum authentico, quid?* — Resp. III. Sigillum dividitur ulterius in publicum et privatum. Sigillum publicum dicitur, quod publica auctoritate nititur: puta, quia est episcopi, capituli, principis, civitatis, judicis, vel alterius personæ, magistratum generantis in iis quæ spectant ad ejus jurisdictionem, seu officium. Et notanter hoc ultimum additur: quia sigillum, v. g. episcopi, appositum in testamento, vel circa alium actum non spectantem ad jurisdictionem ipsius, non censetur publicum. Mascardus d. concl. 1309. n. 48. cum aliis.

Porro hujusmodi sigillum publicum sæpius confunditur cum sigillum authenticum, juxta Glossam cap. II. v. *Sigillum*, h. t. quævis revera differant, sicut magis et minus commune. Nam omne sigillum publicum, est etiam authenticum; sed non econtra; sicut in simili de instrumento publico, et authentico dici solet, estque jam dictum supra § I. n. 14 et 15. Gonzalez Tellez in c. *Scripta* 2. n. 4. h. t.

79. *Sigillum privatum, quid?* — Sigillum privatum e contra dicitur, quod apponitur a persona privata: ut est sigillum doctoris, aliarumque personarum sigillo utentium. Mascardus cit. concl. 1309. n. 45. cum aliis. Et si negatum fuerit, hujusmodi sigillum esse suum, tunc a producente illud veritas ejus erit probanda: puta, per comparationem aliarum litterarum tale sigillum habentium; vel per testes, qui fuerunt præsentis appositioni illius sigilli, ac hujusmodi: nam generale est, quod affirmanti incumbat onus pro-

bandi, l. 2. ff. *de Probat.* cum similibus.

80. *Ratione finis multiplex est divisio sigilli.* — Resp. IV. Ratione finis, ob quem apponitur, multiplex etiam est divisio sigilli. Quoddam enim est « sigillum auctoritatis: » ut sigillum papæ, imperatoris, regis, episcopi, dominorum temporalium, arg. can. *Nobilissimis.* dist. 96. Aliud est « sigillum solemnitatis: » ut sigillum testium in testamentis. Aliud « sigillum testimoniale; » quale solet apponi in litteris testimonialibus, seu pro ferendo testimonio cujuscumque rei datis. Aliud « sigillum ratificativum, » aut positum in signum consensus, quando v. g. agitur de præjudicio sigillantis, et hujusmodi, prout fusius ostendit Mascardus cit. concl. 1309. n. 51. cum aliis.

81. *Sigillum de se nihil probat, nisi concurrant aliæ conditiones.* — Quæritur II. An, et qualem vim probandi habeat sigillum? Resp. I. Sigillum de se nihil probat, nisi concurrant aliæ certæ conditiones. Ita Menochius *de Arbitrar. Judic.* lib. II. cas. 113. n. 1. post Baldum tit. *de Pace Constantiæ.* §. *Imperialis.* n. 8. ubi idcirco dixit, commisionem, maxime specialem, ex solo sigillo non probari, cum sigillum sit res inanimata. Idemque tradit Felinus c. *Tertio loco.* in principio. *de Probat.* pluresque alii a Menochio, ubi supra, relati. Accedit ratio, quia sigillum est testis mutus et incertus; est enim ad plure indifferens, nisi aliunde, puta per appositam scripturam, determinetur ad aliquid certum et determinatum probandum.

82. *Harum potissimum sunt tres.* — Resp. II. Conditiones requisitæ ad hoc, ut sigillum probet, fidemque faciat, potissimum sunt tres, quarum prima est, ut litteris exprimat, cujus sit; secunda, ut pateat, a quo appositum fuerit; tertia, ut constet qua de causa appositum fuerit. Ita Menochius cit. lib. II. *de Arbitrar. Judic.*, cas. 113. n. 3. et seqq.; Mascardus *de Probat.* concl. 1309, n. 53, citans alios. Nec in re discordat Baldus cap. II. n. 15, h. t. ubi inquit, quod « in sigillo quatuor requirantur; videlicet actus, aptitudo, voluntas et character. » Nam ly « aptitudo, » et ly « character, » primam conditionem complectuntur; ly « voluntas, » secundam; et ly « actus, » tertiam; prout amplius patebit ex declaratione singularum trium præmissarum conditionum.

83. *Sigillum ut probet, oportet, ut litteris exprimat, cujus sit.* — Primo igitur, ut probet sigillum, requiritur, quod « litteris

exprimatur ejus. » Unde oportet, quod habeat quandam impressionem, puta imaginem alienjus sancti, vel principis, vel regis, etc., aut arma sigillantis, arg. l. 1. § *Sin autem socius. c. de Communi sermo manumiss.* ibi : « Sigillo impresso : » prout hoc ipsum fieri solet in moneta, l. ull. juncta Glossa v. *Aternales. c. de Veteris numismat. potest.* lib. XII. Quinimo, si desit, aut deleta fuerit imago, vel characteres, ita ut non appareat cujus sit sigillum; vacillat fides ejus, atque ipsum redditur non authenticum, c. *Inter dilectos.* 6. h. t. estque paulo superius n. 73. jam dictum. (ADNOTATIO I.)

84. *Sigillans cum re non habente characteres, v. g. cum corrigia, nihil agit.* — Infertur proinde, quod si quis vellet sigillare cum re non habente characteres, seu litteras legibiles, v. g. cum corrigia, vel hujusmodi, nihil ageret, arg. l. *Ad testium*, § *Signum autem*, ff. *de Testament.* ubi dicitur : « Et magis est, ut tantum annulo quis possit signare, dum tamen habeat characteres. » Innocentius in cap. II. vers. *Cum corrigia*, h. t. istud probans ex cit. *Ad testium*, et l. *Argumento*. § *Ornamenta*, ff. *de Auro et argent. legat.*; Abbas eod. cap. II, n. 14. et Baldus ibid. n. 15; Mascardus d. concl. 1309. n. 53. cum aliis. (ADNOTATIO II.)

85. *Sigillum in jure etiam vocatur annulus.* — Solum nota pro intelligentia allegatæ legis ad testium, cum Innocentio et Abbate, ubi supra, et Baldo n. 16. quod illud, quod canonistæ appellant *Sigillum*, jus civile appellat *Annulum*. Unde quod dicitur de sigillo idem est ac annulo; dummodo sit sculptus ad modum sigilli, cum imagine et characteribus, ut dignosci valeat cujus sit : quales annuli hodie multi reperiuntur, ac etiam taliter appellantur can. *In nomine Patris*, dist. 73. (ADNOTATIO III.)

86. *Ut sigillum probet, debet apparere, a quo fuerit appositum.* — Secundo, ut probet sigillum, requiritur, quod appareat, a quo ipsum fuerit appositum. Alioquin vero in dubio non præsumitur sigillum voluntate domini esse appositum, si is hoc negaverit : quinimo, ubi constat de protestatione contrariæ voluntatis, sigillum præsumitur furtivum, si voluntas non colligatur aliunde quam ex sigillo : ut est casus in c. *Tertio loco*, 5. *de Probat.*; Menochius cit. cas. 113. n. 3; Mascardus d. concl. 1309. n. 41. et 42. referens talem casum sigilli furtivi. Verumtamen scripturæ non vitiantur ex eo,

quod in eis non fuerit specificatum, a quo sigillum est appositum dummodo ex aliis circumstantiis istud possit deprehendi Abbas cit. cap. II. n. 16. h. t. post Innocentium; Mascardus loc. cit. n. 44.

87. *Et qua de causa appositum sit.* — Tertio requiritur, ut constet qua de causa sigillum fuerit appositum : unde de hac communiter in instrumentis solet fieri expressa mentio. Idque merito fit : quia sigillum multis de causis potest apponi, ut puta, in signum præstiti a se consensus, vel pro testimonio alteri dato, vel ad solemnitatem testamenti, aut hujusmodi. Unde, nisi harum aliqua exprimeretur ratio, vel de ipsa aliunde sufficienter constaret, sigillum appositum veluti incertum nihil probaret.

88. *An etiam requiratur subscriptio apponentis.* — Additur Ludov. Engel h. t. n. 17. etiam requiri subscriptionem apponentis : quia sigillum sine subscriptione videtur testis mutus; et alioquin, si soli sigillo plena fides, adhibenda foret, facile dolus committi posset. Verum licet optimum sit, ac in praxi frequentissimum præter appositum sigillum sese subscribere; idque quandoque sit necessarium, ut in testamentis : nihilominus subscriptionem non apponentis sigillum non semper requiri, dicitur infra n. 98. et seqq.

89. *Scripturæ, seu instrumenta, quæ habent sigillum authenticum, plene probant.* — Resp. III. Scripturæ, seu instrumenta illa, quæ pro sui confirmatione habent sigillum authenticum, faciunt plenam fidem. Ita textus in cap. II. h. t. ubi dicitur, corruiere instrumentum, si testes inscripti decesserint, nisi per manum publicam, seu notarium quempiam fuerit confectum, aut « nisi authenticum sigillum habuerit. » Et notat Glossa ibid. v. *Authentica*. Abbas in *Summario*; Barbosa in *Collectan.* n. 1. et alii, doctores; Mascardus cit. concl. 1309. n. 1. allegans plurimos alios.

90. *Differentia inter sigillum authenticum, publicum, et privatum.* — Est tamen hic notanda differentia inter sigillum authenticum publicum, et privatum. Nam instrumenta publica seu publico sigillo munita, perpetuam habent firmitatem ad damnum et commodum utriusque partis, arg. can. *Si quis de clericis*, 12. q. 2. et c. *Cum pridem. de pactis*, et l. *In exercendis. c. de Fide instrument.* cum similibus. At vero privata instrumenta, seu sigillo privato munita, valent quidem in præjudicium illorum, qui ea scripserunt, l.

Generaliter. c. De non numerat. pecun. et l. *Publica*. § fin. ff. *Depositum* : non vero ad commodum eorum, nisi ab adversario fuerint approbata. cit. l. *Publica*. § fin. juncto Bartolo in *Summario*, ibid. et l. *Instrumenta domestica. c. de Probation.*; Glossa in d. cap. II, v. *Authentica*. h. t.; Mascardus cit. concl. 1309, n. 1, 4. et 40. ac seqq. allegans alios.

91. *Sigillum an probet, etiamsi nulla intervenit subscriptio sigillantis?* — Quæritur III. Utrum probet sigillum, etiamsi nulla intervenit subscriptio sigillantis? Resp. I. In resolutione hujus quæstionis variant doctores, atque in diversas abeunt sententias, quas majoris claritatis gratia breviter juvabit adducere. Et quidem :

92. *Negative sententiæ rationes.* — Negative sententiam, seu quod absque subscriptione apponentis non probet sigillum, tenet Bartolus in proem. ff. n. 8. vers. « Item quæro, si est solum sigillum, » etc. pro se allegans l. *ad Testium*. § « Si quis ex testibus. » ff. *de Testament.* ubi dicitur : « Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, verumtamen signaverit, pro eo est, atque vi adhibitus non est. Unde summarium ibid. ex eodem Bartolo desumptum inquit : « Requiritur signatio, et subscriptio : et alterum sine altero non valet. » Eidem sententiæ favet Speculator tit. *de Instrumentorum editione*. § *Instrumentum ergo publicum*. n. 19. vers. « Item quod est signatum. » ubi ad valorem instrumenti tam sigillum quam subscriptionem requirit : et alii, quos pro hac sententia allegat Mascardus d. concl. 1309, n. 6, ac sequitur Engel h. t. n. 18. addita ea ratione, quia sigillum sine subscriptione videtur esse testis mutus qui in judicio productus nihil loquitur : et si soli sigillo plena fides habenda foret, facile aliquis dolus committi valeret.

93. *Fundamenta sententiæ affirmative referuntur.* — Oppositam, seu affirmativam sententiam, videlicet probare sigillum, ubi de ipso constat, nec esse necessariam propriam subscriptionem sigillantis, nisi aliud legibus, vel consuetudine constitutum fuerit : tenet Covarruvias, *Pract. Quæst.* cap. XXII. n. 9. circa fin. allegans alios; Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 113, n. 6; Innocentius in cap. II. in fin. h. t.; Decius c. *Post sessionem*. n. 31, *de Probation.* et alii, quos pro hac sententia refert Mascardus cit. concl. 1309, n. 5. Accedit ratio, quia in cap. II. h. t., ista duo æquiparantur, et alternative suf-

ficere dicuntur; videlicet, scripta per manum publicam facta, et scripta habentia sigillum authenticum, ibi : « Nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica; aut authenticum sigillum habuerint, per quod possint probari. » Atqui « in alternativis sufficit alterum adimpleri, » juxta reg. 70. juris in 6. cum concordantiis. Verum inter hasce extremas sententias videtur media via incedendum; unde :

94. *In testamentis aliisque casibus magni præjudicii, requiritur subscriptio, nec sufficit sola appositio sigilli.* — Resp. II. In testamentis scriptis, sicut et in aliis casibus, ubi agitur de magno præjudicio, aut de jure vel consuetudine specialiter requiritur subscriptio, hæc omnino est facienda, neque sufficit sola appositio sigilli : secus dicendum in aliis negotiis, quæ sunt modici præjudicii, simulque constat sigillum esse ejusmodi, atque ab ipso vel de ejus voluntate fuisse appositum. Ita Covarruvias loc. cit.; Mascardus d. concl. 1309, n. 7. et alii. Neque in re videntur dissentire auctores pro sententia negativa n. 92. allegati : quia ipsi, ac præsertim Bartolus, loquuntur in testamentis scriptis, juxta l. *Ad testium*. § *Si quis ex testibus*, ff. *de Testament.* quam Bartolus pro se allegat, quamque agere de solemnitate testamentorum, patet ex rubrica, totoque contextu. Atqui in testamentis, aliisque causis, in quibus agitur de magno præjudicio, vel ubi reperitur specialis constitutio, aut consuetudo requiri subscriptionem, et sigillationem simul, ultro fatetur præsens conclusio. Siquidem de testamentis illud clare habetur statutum in cit. l. *Ad testium* : de aliis vero causis arduis id ipsum suadet gravitas negotii, majusque periculum; præsertim si accesserit specialis constitutio, vel consuetudo locorum, cum hæc sola sufficere valeat ad inducendam necessitatem subscriptionis, cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus.

95. *Secus dicendum de negotiis modici præjudicii, etc. Ad evitandas disputationes optimum est, etiam addere subscriptionem.* — Secus dicendum de negotiis modici præjudicii, simulque constat de appositione sigilli : quia tunc (secluso speciali locorum statuto, vel consuetudine) cessant rationes proxime allatæ, atque subintrat dispositio cap. II, h. t. Quanquam Menochius cit. cas. 113, n. 6. notanter moneat, quod ad evitandas omnes disputationes optimum sit etiam addere subscriptionem.

96. *Solvitur notabilis objectio. Cur magis credatur sigillo, quam dicto unius testis?* — Objicies autem contra præmissa, afferendo notabilem instantiam. Non creditur dicto unius testis, quantæcumque sit auctoritatis, c. *Cum a nobis*. 28. de *Testib.* et l. *Jurisjurandi*. c. eod. ergo multominus sigillo quantumcumque authentico: cum non major fides adhibenda sit voci mutæ quam vivæ; nec minus induci quis possit ad apponendum falsum sigillum, quam ad falsum testandum. Resp. neg. consequent. et paritatem. Etenim sigillo authentico, de cuius veritate constat, creditur tum auctoritate legis cap. II. h. t. cum similibus, tum ex recepta consuetudine locorum, ubi contraria consuetudo non inolevit. Nam consuetudo non solum est optima legum interpres, c. *Cum dilectus*. 8. de *Consuetud.* sed etiam potest facere, ut credatur talibus litteris sigillatis in quocumque facto, etiam ubi alias non plene crederetur sigillo; prout cum communi doctorum notat Mascardus cit. concl. 1309. n. 34. Horum autem nullum procedit de dicto unius testis. Accedit, quod ob labilitatem linguæ multo plura pericula falsi testimonii subsent, si passim crederetur dicto unius testis, etsi cæteroquin gravis, quam si fides adhibeatur appposito sigillo authentico; tum quia in sigillo facilius falsitas comprehendi potest quam in dicto testis; tum quia conclusio procedit, quando non oritur rationabile dubium de voluntate apponendi sigillum ex parte ejus, cujus est sigillum.

97. *Instrumentum an aliquando probet absque appposito sigillo? Testamenta, privilegia, et hujusmodi, absque sigillo, non habent vim probandi.* — Quæritur IV. Utrum aliquando probet instrumentum absque appposito sigillo? Resp. I. Loquendo de testamentis, privilegiis, et similibus, in quibus sigillum est de solemnitate vel substantia actus, tunc eo deficiente instrumentum non censetur authenticum, nec habet vim probandi. Ita Menochius lib. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 113, n. 14; Felinus c. *Inter dilectos*. n. 5, h. t. et alii, ex textu illius capituli inferentes, quod ob enormem fracturam sigilli vacillet fides privilegii: quanto magis, si sigillum penitus deficeret, seu nunquam appositum fuisset. Idem esse dicendum de testamentis patet ex l. *Ad testium*. § *Si quis ex testibus*. ff. de *Testament.* cum concordantiis.

98. *Extra hosce casus regulariter sigillum in instrumentis ad substantiam adhuc non adhi-*

betur. — Resp. II. Extra hosce casus, ac regulariter loquendo, sigillum in instrumentis ad substantiam actus non adhibetur, sed ut is facilius probetur. Ita Innocentius c. *Inter dilectos*. vers. *Sigillum*, h. t. Abbas cap. I. n. 3. vers. *Decimo requiritur*, et c. *Inter dilectos*. n. 3. eod. ubi tamen addit, quod semper apponatur sigillum ad cautelam, quando instrumentum est publicum. Felinus cit. c. *Inter dilectos*. n. 5, h. t.; Menochius d. cas. 113, n. 13. et 14, allegans insuper Hostiensem, et Cardinalem, quos secutus est Zasius, consil. 2. n. 37. lib. I. et concordant dicta superius § I. n. 29. Id ipsum desumitur ex cap. II. h. t. ubi scripta illa censentur authentica, et mortuis etiam testibus probantia, quæ « per manum publicam (id est, per notarium, ut explicat Glossa) facta fuerunt, ita quod appareant publica; » atque istud solum sufficit; nam de sigillo primum subjungitur sub disjunctione: « Aut authenticum sigillum habuerint. » Concordat textus in l. *Contractus venditionum*. c. h. t. ubi ad valorem instrumentorum plus non requiritur, quam quod « subscriptionibus partium confirmata, et si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, et postremo a partibus absoluta sint; » hoc est, subscripta, ut explicat Glossa ibid. v. *Absoluta*.

99. *Sed ad faciliorem ejus probationem. Sigillans scripturam videtur fateri omnia contenta in ea.* — Solet tamen plerumque sigillum apponi, non quod istud regulariter sit necessarium, seu requiratur ad substantiam actus, seu ad faciliorem probationem: nam sigillans scripturam, contenta in ea præsupponit vera, et videtur fateri omnia contenta in ipsa. Alexander consil. 147. n. 6. et 7. lib. II. Card. Tuschus lit. S. concl. 239. n. 1. citans insuper Baldum consil. 175, n. 2, lib. I; Romanum consil. 303. in fin. et alios

100. *Scriptura etiam privata, plene probat contra sigillantem.* — Infertur proinde, quod scriptura, etiam privata, quæ inducitur contra eum, qui ipsam scripsit, atque subscripsit ad utilitatem alterius partis, v. g. in donatione, etc. neque ab eo facta negatur, contra ipsum plene probet, l. *In donationibus*. c. de *Donationib.* et l. *Publica* § fin. ff. *Depositi*. Idemque dicendum, quando scriptura facit pro utraque parte, et subscribitur a qualibet earum, vel per alium vel alios de ipsarum voluntate; ut fieri potest in contractu locationis, et hujusmodi: tunc enim ea per subscriptionem ambarum partium effici-

ter legitima, et per illam subscriptionem suppletur defectus publicæ personæ ac etiam testium, cit. l. *Contractus venditionum*. c. h. t. et l. *Vice donatricis*. c. de *Donation.* ac notat Joan. Andreas in *Addit. magna ad Speculator.* tit. de *Instrument.* edition. § *Nunc dicendum*. vers. *Tertium supplementum*. et Pax Jordanus vol. 3. lib. XIV. de *Fide instrument.* n. 9.

101. *Consuetudo provinciarum multum operatur quoad hoc, ut credatur alicui scripturæ, vel non.* — Illud quoque notandum et cum Speculatore cit. § *Nunc dicendum*. n. 8; Felino c. *Post cessionem*. n. 8. de *Probat.* et aliis quod consuetudo provinciarum multum operetur quoad hoc, utrum credatur alicui scripturæ, vel non, c. *Cum dilectus*. 9. h. t. juncta Glossa §. *Approbata*, ubi inquit, quod consuetudo facit aliquid instrumentum authenticum, quod alias non esset: sicut et consuetudo dat alicui jurisdictionem, quam alias non haberet. Concordat Joan. Andreas in cit. *Addit. magna*. vers. *Septimum supplementum*, et Pax Jordanus loc. cit. n. 8. ubi inquirunt, quod juxta consuetudinem loci Venetiis statur instrumentis scriptis per sacerdotes: et in multis partibus fidem faciat certum sigillum, certa subscriptio, certa stampa, vel formæ impressio. Stabitur enim (aiunt) consuetudini illius loci, et instrumentis eo loco factis, etiamsi alibi agatur, et scripta illa producantur; ut d. c. *Cum dilectus*. h. t. et l. 1. c. de *Emancipat.* Idem tradit Jason l. *Admonendi*. n. 78. ff. de *Jurejurand.* citans alios. Concordant dicenda inferius § 5. n. 153.

§ IV.

DE FIDE ARCHIVII, ATQUE SCRIPTURARUM IN EO REPERTARUM.

102. *Libri rationum, et cæteræ scripturæ private, concurrentibus certis conditionibus desumptæ ex publico archivio, plene probant.* — Quæritur I. An, et quando scripturæ in publico archivio repertæ, plene probant? Resp. I. Libri rationum, sicut et cæteræ scripturæ private, concurrentibus certis conditionibus desumptæ ex publico archivio, plenam fidem faciunt. Ita Abbas cap. 11. n. 6, h. t. Jason Repetit. l. *Admonendi*. n. 97, ff. de *Jurejurand.* Mascardus de *Probat.* concl. 111. n. 9. et concl. 712. n. 60. et 61; Card. Tuschus litt. A. concl. 486, n. 1, et seqq.; Engel h. t.

n. 19; Sigism. Scaccia de *Judiciis*, cap. II, n. 756, et 761. ac seqq.; Aymon Cravetta tom. XVII. *Tractatum*, tract. de *antiquitate temporum*. § *Quarto limitatur* n. 1. Felinus c. *Ad audientiam*. n. 11. et Barbosa ibid., n. 3. de *Præscription.*; Nicolaus Genova (alias, Nicolaus de Passeribus) tract. de *Scriptura privata*. lib. V. et § 1. et 10 ac seqq. et alii passim. Siquidem per archivium publicum datur robor scripturæ cæteroquin non authenticæ, arg. Auth. *Ad hæc de iis*. c. de *Fide instrument.* ibi: « Item ex charta, quæ profertur ex archivio publico, et testimonium publicum habet. » Concordat textus in can. *Pervenit*. 30. quæst. 1. juncto c. *ad audientiam*. 13. de *Præscript.* ubi plene creditur libro sensuali, et aliis, in archivio Sedis apostolicæ repertis. Accedit ratio ibidem relata: quia, cum « Seriniarius juratus sit officium suum fideliter exequi, » ratione juramenti, et publici officii, præsumitur nihil ipsum scripsisse, nec ibidem reposuisse, quam quod verum extiterat; prout argumentatur pontifex in cit. c. *Ad audientiam de præscript.*

103. *Conditiones ad id requisite sunt quatuor. I. Ut archivium ejusmodi sit publicum.* — Resp. II. Conditiones requisite ad hoc, ut scripturæ ratione archivii plene probent, sunt quatuor. Prima est: ut archivium ejusmodi sit publicum; hoc est, erectum ab eo cui jus archivii compellere dignoscitur, quale solet competere duntaxat prælati ecclesiasticis majoribus, puta episcopis, horumque superioribus; nec non et principibus, dominisque sæcularibus, qui in suis territoriis exercent jura imperii, et regalium. Archivium quippe est locus publicus, in quo solet reponi scripturæ publicæ, et authenticæ. Abbas c. *Cum causam*. n. 1. vers. *Secundo dicit. de Probat.*; Sigism. Scaccia lib. II. de *Judiciis*, cap. II, n. 757. et alii: de cujus requisitis proxime dicitur n. 213.

104. *Secus dicendum de archivio privato.* — Secus dicendum de archivio privato: quia in hoc solet concurrere interesse eorum, qui habent tale archivium; atque ideo archivium privatum non potest dare fidem scripturæ inde extractæ. Scaccia cit. cap. II. n. 760. Nam quod archivium publicum tribuat scripturæ fidem, et authenticationem, provenit tum ratione loci, publica auctoritate, seu per principem jus imperii, ac regalium habentem, ad hoc deputati; tum ratione juramenti præstiti per officialem illum, sub cujus custodia existit: unde præsumitur de fidelitate